

B. N. II, 169.  
S. 46, 12.

X 1880715

II R  
4748

QUOD VERTATUR FELICITE  
DISPUTATIO  
INAUGURALIS  
EX JURE OMNI DESUMPTA  
QUAM  
AUSPICANTE DEO T. O. M. AUTHORITY  
MAGNIFICI FACTORUM ORDINIS,  
ILLVSTRIS  
ACADEMIÆ GIESSENÆ,  
DE  
FIDE PRINCIPIS,  
PRO  
LICENTIA,  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,  
AMPLISSIMO SENATUI ACADEMICO  
EXAMINANDAM SUBMITTIT  
HENRICUS MELCHIOR  
RASSDÖRFFER,

Sveinfurt, Francus.

AD D. XXVII. Maji, Annò M DC LXXXIV.

IN AUDITORIO SOLENNI.

GIESSENÆ,

Ex Chalcographéo Academ. KARGERIANO.

De Fide Principis Vol. IX. 3.

VIRI

MAXIME REVERENDE, CONSULTISSIMI,  
AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI

DN. PHILIPPE LUDOVICE  
HANNEKENI,

SS. Th. D. Ejusd. Prof. SENIOR & Prim. longè latèque  
Famigeratissime, Superintendens Giessene Vigilantissime,  
Theologe de Ecclesia Christi optimè merite.

DN. FRIDERICE NITZSCHI,

Philos. & J. U. D. Inclyte, Pandect. Prof. Ord. Celeberrime,  
Ludovicianæ hujus Syndice Fidelissime, Judicii Revisorii Assessor  
Magnifice, Facultatis Juridicæ p. t. Decane Meritissime,  
& Comes Palatine Cæsaree.

DN. ANTHONI RIESI, J. U. D.

Celeberrime, Celsissimi Principis Nassovico-Dillenburgen-  
sis, ut & Illustrissimi Comitiss de Solms Consiliarie intime, Advocate  
Cancellariæ Giessenæ Ordinarie.

*Patroni, Præceptor, Fautores in æternum venerandi,  
colendi!*





**D**Eberet Vobis, PATRONI OPTIMI,  
Nominique vestro, fateor, nil nisi ex-  
sciatum, atque ætatem laturum consecra-  
ti: Et TIBI quidem Maxime Reverende Dn. D.  
HANNEKENI, ob specialem tuam erga me, tan-  
quam extraneum, benevolentiam, TE quoties adii,  
toties & auxilio & consilio promptissimum TE præ-  
stitisti, &c. &c.

Tibique Magnifice Dn. D. NITZSCH, ob sin-  
gularem non tantum apud Cives, sed etiam apud  
exteros Gallos diligentia famam, & innumerabilia  
tam ratione doctrinae, quam convictus, in me col-  
lata beneficia, &c. &c.

Denique & TIBI Consultissime Dn. D. RIES,  
propter innatam erga quosvis Literatos humanita-  
tem, & animum erga me propensissimum, &c. &c.

Exasciata, inquam, & magna Vobis deberent  
consecrari: Sed quia & Magnanimorum est, tenu-  
iorum etiam personarum dona haud ingrato aspi-  
cere vultu; Ideo tanta fretus confidentia exiguas  
hasce pagellas in gratæ memoriæ signum humilli-  
mâ

mâ submissione Vobis offero. Accipite ergo,  
VIRI EXCELLENTISSIMI, accipite hoc qua-  
lecunque munus, licet vile, ex gratia tamen pro-  
fluenspectore. Reliquum quod est FAUTO-  
RES MEI, VOS, qui non Vobis, sed publico  
Bono, qui Ecclesiae, qui Patriae saluti & commo-  
dovivitis, diu humanis rebus ut intersitis, vota facio,  
& votis damnari cupio. DEUS Vos servet! DEUS  
vos conservet! VIVE plurimum Reverende Dn.  
D. HANNENKONI Cathedrae & Ecclesiasticae &  
Academicae, in qua ceu stella nobilissima fulges.  
VIVE Amplissime Dn. D. NITZSCH Academiae  
Hasso-Giessenae, in qua literarum gloria triumphas.  
VIVE Consultissime Dn. D. RIES, Curiae ejus-  
demque loci, in qua prudentia & auxiliò flores. VI-  
VITE & mihi! VIVITE FAUTORES, VIVITE PROMO-  
TORES. DEUS ille immortalis vos perpetuet, regat,  
animet, Familiaeque Vestrae exoptatissimae Vos cu-  
stodiat! Quò in votò & vivam & moriar

TANTORVM VIRORVM

FAVORVM MEORVM

*Subiectissimus*

HENR. MELCH. Rasdörffer.



## PROOEMIUM.



**I**N nomine Domini nostri IESU CHRISTI cum Imperatore nostro auspico opus, & ad omnia mea cœpta ac consilia progredior, juxta l. 2. C. de off. Præf. præf. Afr. quia tunc benè & feliciter omnia gerantur, si rei cujusque principium decens sit & amabile DEO, uti loquitur Justinianus Nov. 6. pr. ubi enim Christus non est fundamentum, nullum boni operis erit super ædificium, c. cum Paulus 26. caus. 1. q. 1. nec bonus sequi potest exitus c. principatus. 25. c. 1. q. 1. Eoque auspicio ad propositam materiam de FIDE PRINCIPIS, quæ præprimis propter dignitatem arrisit, me accingo; ut autem ordine more hætenus recepto procedamus, terminos nostros, quomodo eos intelligi velimus, cum quisque suus interpres sit optimus, ante omnia explicare, nemo nobis vitio vertet. Nam turpe est differenti, proprios terminos ignorare, & prius determinare rem ipsam, quam terminos percipere: hoc enim pacto possumus significata distinguere, ne in æquivoco procedamus. Unde Iuris Consulti tam diligenter verborum significationes sunt persecuti, l. 204. l. 195. de verb. signif. neglectus enim verborum rerum parit incertitudinem: Oldendorp. Class. 4. act. mandat. quæ pluribus per tractat VVarem. ab Ehrenberg | de fæder. c. 3. p. m. 249. seqq. ac si genuinus terminorum sensus rectè cognosci nequit, quomodo inde formabis rei definitionem, quæ est potissima ejusque rei pars, de qua Cajus in l. 1. de Orig. Jur. imò fax & anima totius tractationis, quæ rectius percepta totum rectius percipitur negotium. Primò igitur de explicatione vocis FIDEI.

Thef. I.



THESIS I.

Etymologia  
Fidei.

**I**N Onomatologia occurrit primò vocis Etymologia, in qua diu non persistemus, otiosis eam relinquentes, cùm multi circa vocum origines potius ludant, quàm seria tractent. Nos unicà hac contenti, quam habet *Cicero lib. 1. offic.* ubi putat, fidem ex eò dici, quòd fiat, quæ dicebantur, verba ejus hæc sunt: *Fundamentum justitiæ est fides, i.e. dictorum, conventorumq; constantia & veritas: Ex quò (quanquam hoc videtur fortasse cuiquam durius, tamen ut videamur imitari Stoicos, qui studiosè exquirunt, unde verba sint ducta) credamus, quia fiat, quòd dictum est, appellatam fidem.*

TH. II.

Homonymia.

Ratione Homonymiæ sumitur *fides* etiam Theologicè, pro fide salvifica, de quâ ad *Hebr. II.* & in sacris passim, quam Dominis Theologis tractandam relinquimus: Sumitur etiam pro conscientia apud *Cic. in Orat pro Cælio: Sed vestra sapientia tamen est, Judices, non si causa justa est viris fortibus oppugnandi M. Cælium, ideò vobis quoq; vos causam putare esse justam alieno dolori potius, quàm vestre FIDEI consulendi.* Tribuitur etiam rebus inanimatis, sic in jure nostro dicitur *fides instrumentorum, t. t. ff. de fide instrum. in Cod. eod. tit.* itidem *X. h. t.* Eandem vocem apud veteres in utramque partem adhibitam esse, videre est apud *Cicer. lib. 3. offic.* sicuti & hodiè sæpius in jure nostro Justinianæo occurrit & *bonæ fidei* & *mala fidei possessor, §. 2. j. de usucap. l. 62. ff. de R. Vind. l. 48. pr. & §. 1. ff. de A. R. D. l. 5. l. 23. C. de Rei Vind. & passim.* Accipitur etiam pro salvò conductu, sicut *Beleit / Cic 3. in Catil. Introduxi Vulturium sine Gallis, fidem ei publicam jussu Senatus dedi;* Quandoque pro Tutela & protectione, e.g. in alicujus fide esse, *Cæs. de B. C. & alibi:* Interdum pro auxiliò & assistentia, *l. 5. ff. de manumiss.* Est etiam *fides* vocabulum negotiatoribus proprium, pro constantia, illa promissorum, quâ debitores suo loco & tempore præstant, quòd promiserunt, aut *Credit boræen.* Quæ varia & multiplex vocis acceptio ad scopum nostrum nihil facit, qua verò in

in significatione fidem accipiamus, statim ex thesi sequenti elucescet.

TH. III.

Pro' Synonymis FIDEI apponere placet illa verba, quæ Synonymia eundem sensum habent ac *obligatio, vinculum & officium*, Germanicè *Gebühr oder Schuldigkeit* / quemadmodum in ipsa rei definitione pluribus forsan demonstrabitur. Properamus ita ad alterum Thematis nostri vocabulum, quod est *Princeps*.

TH. IV.

Nomen Principis Calepinus in suo Lexico deducit ab eo, <sup>Etymologia Principis,</sup> quòd primus capiat; Nobis accommodatior videtur hæc, ut derivemus ab abjectivo primus & caput, quasi primum caput in Rep. quemadmodum in Germanicis sæpissimè occurrit, ut dicamus, ein *Oberhaupt in der Stadt*. Sic Imperator Rom. κατ' ἐξοχήν vocatur ein weltlich Haupt in *A.B.C.2. §.2.* nec non *Rec. Imp. de A. 1566. §.* Und nachdem dann / *rc. ibi: Wie wir dann als Römischer Känser und das Oberhaupt im H. R. Reich. & status dicuntur Membra, R.I. de A. 142. §.* Wiewol *rc. ibi: Christl. Glieder des Reichs.*

TH. V.

Vox *Principis* verè homonyma est, & multipliciter accipitur. <sup>Homonymia</sup> Primò quidem, & secundum excellentiam tribuitur Imperatori, in l. *Princeps 31. ff. de LL. l. 1. l. 2. de constitut. Princip. §. 6. j. de j. N. G. & Civ. Et in usib. Feud. 1. Feud. 7. 2. Feud. 10.* & adhuc hodiè in Inscriptionibus dem *Alerdurchleuchtigsten / Großmächtigsten und Vüberwindlichsten Fürsten und Herrn / Herrn LEOPOLDO erwählter Röm. Känser / &c. &c.* Quemadmodum & Regibus, uti similiter ex titulis patet. Quia verò usus excelsam eam appellationem etiam proceres Imperii imò & ad præcipuas summi Principis Vasallos deduxit, hinc in secunda & derivatâ accommodatione iterum multiplex significatio observatur: Et (1.) vel latissimè omnes Regali dignitate Illustres significat, quemadmodum *Fridericus I. de prohib. feud. alien. per Frider in verb. de Principibus Italicis, 2. F. 55. cõsensu loquitur.* Atque ita non solùm Electores, Archiduces,   
Principes

Principes Palatini, Landgravii, Marchiones &c. cum Ecclesiasticorum Principum choro, verum ipsi quoque Comites & Barones & quicumque inter Primores Regni & Imperii referuntur, generali Principis appellatione veniunt. Schrad. de feud. p. 10 f. 1. n. 28. Bertram. de Comit. concl. 39. (2.) strictè sumitur vox Principis pro iis Imperii Proceribus, qui Principum dignitate insignes, & Comitibus, Baronibusque contradistinguuntur, (& Principatu sunt investiti) uti sumitur in Erklärung des Landfriedens / tit. 3. & passim, sic etiam in Rubr. Ord. Cam. p. 2. art. 2. 3. & 4. Apud exteros vox Principis ex usu & moribus ipsorum diversimodè accipitur, sic in Italia primogeniti Ducum filii Principes salutantur: quò Titulò etiam Dania, Suecia, Polonia suorum Regum filios compellant, Reink. de R. S. & E. lib. 1. cl. 4 c. 8. n. 4. Galli Principis nomen non nisi Regiæ Prosapia Principibus ( quos ibi Principes sanguinis, Fürsten von Königl. Preblüt vocant ) attribuunt. Sic etiam Anglis Primogenitus Regis Princeps Walliæ salutatur. Nobis arridet illa acceptio, quâ summus in Rep. seu penes quem est τὸ κρείον indicatur, sive sit Imperator, sive Rex, sive Princeps, sive Civitas Imperialis, quæ etiam jura Principis habet, testante Gailio l. 2. observ. 57. n. 7. plures acceptiones ratione homonymiæ videre licet apud Schüz. Coll. Jur. publ. Exerc. 8. th. 2. lit. A. vol. 1. Bockelmann in Coll. ff. lib 1. tit. 4.

TH. VI.

Synonymia.

Synonymiam quod attinet, dicitur Princeps seu Magistratus simpliciter à subditis suis Dominus, quemadmodum res ex vulgari sermone est notissima, unde etiam formulæ. Es ist nicht mein Herr / hat mir nichts zu befehlen. Ist meine Obrigkeit nicht / &c.

TH. VII.

Definitio.

Ne autem Lectorem ulterius detineam, ad ipsius rei definitionum progredior, ita definiens: Fides Principis est superioris obligatio, vi cuius ad bonum Reip. & Subditorum procreandum, promovendum & conservandum in conscientia tenetur.

Fundamentum ratione Principis, ex jure Naturæ petita.

TH. VIII.

Ut autem cætera eò meliori fiant successu, pauca quedam



dam fundamenti loco de Principe, an Sc. statum Principis ipsa Natura dictitet, verbis Dn. D. Nitzschii in *Institut. Juris Nat. & Gent. parte General. cap. 1. concl. 8. differere*, Lectori non ingratum fore confido. Equidem naturâ omnes homines invicem sunt æquales, adeoque in statu naturali ignoratur alterius in alterum Imperium; Et cum natura homines, uti naturaliter eos finxit, habere velle præsumatur, majoremque hominis perfectionem & dignitatem supponat, non dependere ex alieno arbitrio, sed suæ potestatis esse, recta etiam & naturalis ratio inter homines æqualitatem intendit. Sed quia tamen homo propter perversitatem naturalem non semper rectam scit sequi rationem, & si sciret, propter affectus, pravamque libidinem non attenderet, sed contrâ omnium æqualitas similitudines, lites, discordias, imò bellum produceret, cum rara sit illa modestia, ut virtutis amore homines sibi invicem cedant, sed potius locum habeat illud Poëtæ :

*Qui velit ingenio cedere, nullus erit.*

Hinc necessitate hæc exigente dictitat potius natura inter ple-  
rosque Imperium & inæqualitatem & quod alter ad alterius nu-  
tum se componere teneatur, quàm æqualitatē. Hæc. Excell. D.  
Nitzsch. *l. c.* non tantum quidem in familia, sed etiam in Rep. &  
externo opus est Imperio, quia hodiè cõmunis mortaliũ in prava  
proclivitas, juxta Pufendorf. *de Offic. Hom. & Civ. l. 1. c. 1. §. 12.* Au-  
gentur quidẽ secula, virtutes autẽ minuuntur, uti habet Maximè  
Rever. Dn. HANNEKENIUS, SS. Th. D. Superint. & P. P.  
Patronus meus nunquam sine honoris cultu nominandus, in  
*part. 1. Dier. intercif. interc. 3. p. m. 8.* tum ut spontè dictamen re-  
ctæ rationis sequi renuentes, pœnis à vitiis abducantur, tum  
ut præmiis ad virtutem sectandam incitentur homines, *l. 1. §. 1.*  
*ff. de j. & j.* Dn. Struv. in *Synt. Jur. Civ. Exer. 1. th. 3.* Et natura-  
lis etiam Regula est, quòd in omni cœtu & præcipuè perfecto,  
regere & regi, necessarium sit. Quemadmodum enim in fa-  
milia imperat Paterfamiliàs, ita ubi plures familiæ in unum  
congregantur, ut cœtum perfectum constituent, necessariò  
debet esse aliqua potestas, ad quam spectet gubernatio: Cum  
itaque natura non deficiat in necessariis, consequitur inde, ta-  
lem

lem potestatem naturæ est consentaneam. Wilhelm. Grot. *de Princip. Juris Natur. cap. 6. §. 1.* jungatur Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part. 1. §. 9. & 11. seqq.*

TH. IX.

Quos autem Natura ad tantos Principis honores tantæque Majestatis culmen evexit, quibusq; tantam hominum copiam subjecit, non elato Tyrannicôque animo in vitam & subditorum bona sæviant, sed potius paternô eos prosequantur affectu, uti habet Brunnemann. *ad l. 34. C. de in offic. testam. n. f.* pacta cum subditis inita non violent, Cluten. *Sylog. rerum quoti. lian. §. 18.* fidem eis datam & debitam non frangant. Cogitent enim, Magistratibus non licere aliquid injuriosè facere, per *l. 32. ff. de injur. præsertim cum à conscientia proveniat obligatio*, ita ut fidei tuendæ nulla alia sit origo aut fons, quàm ipsa natura, cui etiam subest Princeps ipse, [ honesta dictans ] maximè cum in terris nemo sit, qui in eos propter admessa animadvertat, cum legibus civilibus soluti sint. Naturalis enim lex homines quidè pœnæ obnoxios pronunciat, sed earum definitionem DEO permittit, aut etiam executionem Magistratibus, ex jure Gentium, vel civili faciendam, delegat. Wilhelm. Grot. *de princip. jur. Nat. cap. 4. §. 6. p. m. 61.* & quæso, quid tam congruum fidei hominum, quàm ea quæ inter eos placuere, servari, *l. 1. de pact. quia grave, fidem fallere, l. 1. ff. de constit. pecun. præsertim à Principe, cujus fides publica præ cæteris inviolabilis servanda, arg. l. 5. de pact. l. f. in med ibi:* jure igitur perpetuo publici contractus firmitate. *C. de locat. præd. L. XI. 70.* & sub autoritate Principis aliquem in contractu decipi nefas est per *l. 14. C. de omn. agrodesert L. XI. 58.* Imò verò nemo aliàs cum Principe esset contracturus, sed exul esset, qui est omnibus præsul. Hominum carere commercio inter maximas reputatur calamitates, *arg. l. 24. §. 1. ff. de Minor.* Quadrat huc quæ habet Tacit. *lib. 1. Annal. c. 35. n. 6.* ubi ait: *moriendum potius, quàm fides exuenda; Perfidia enim tantæ turpitudinis est, ut virtutes omnes inquinat atque obscuret, præclare gesta obruat, animi, corporis, fortuneque bona perimat, & nullis unquam meritis mitigari aut expiari potest*, Richter. *Axiom. Oecon. 135.*

p. 285. Plura de fide servandâ legi possunt apud Scharrock. *de offic. secundum jus Nat. cap. 4. p. 222. seqq.* In omnibus, ut compendio dicam, officio boni Principis fungatur, virtutumque moralium sit studiosissimus.

TH. X.

Exindè videre est, quàm latè obligatio seu fides Principis pateat, ut summo nimirum annitatur studio, imò necessarium Principis requisitum est, ut virtutibus alios antecellere valeat, Geilfus. *Exerc. 3. th. 4.* omnes quidem debemus studere virtutibus, at Regis est antecellere, ideò autem alios præcellat, ut aliis imperare dignus sit, quod paucis aliquot illustrare exemplis, nonnullasque & quidem Principis virtutes Principales pertractare placet, ejusdemque officium.

TH. XI.

Obligatur itaque Princeps, ut tranquillitatem, quantum possibile, in Rep. conservet, quod quàm commodissimè fieri poterit, si prudentia polleat, & Remp. suam Legibus, quæ anima & spiritus Civitatis, & unà cum ipsis Civitatis primordiis cœperunt §. 11. *j. de rer. divis.* ad naturam populi accomodatis provideat; Leges ad Remp. sunt accomodandæ, non Resp. ad leges, juxta Aristotelem: *Cellar. Politie. c. 8. §. 27.* Non enim omnes LL. omnibus populorum ingeniis convenientes sunt, nam sicuti homines ratione loci variant, ita & LL. illis moribus applicandæ. Tales enim sunt hominum mores, qualis est locorum situs, ubi degunt, *Grüter. in disc. 45. ad Tac. & Florus 3. 2. 2.* Atrox cœlum, perindè ingenia. Ita & *Curtius 8 9 10.* ubique locorum situs ingenia hominum format; Probè innata incolarum indoles perscrutanda; nam cuique nationi ex cœlo & solo suum temperamentum ac genius formatur naturalis; de quò vid. *Barclajus in 7 con. anim.* qui probè debet examinari. Quidam enim populi durius, quidam mitius tractari debent; quod nisi observetur rebellionis causam præbet: uti sæpius in Italis atque Belgis experta est Hispania. Neque defecissent septem illæ Provinciæ, ex quibus hodiè constat Belgium unitum, si molliori jugo subfuissent, neq; crudeli illâ inquisitione Hispanicâ vexatæ. Inde enim causa fuit ab al enandianimos

I.  
Consistit officium Principis in Leges populo accommodatas ferendo.  
Speidel. Notab. voc. Ges. sag.

Batavorum atque abhorendi Imperium Hispanorum. vid. *Academ. Status*, lib. 1. c. 16 p. m 75. In legibus igitur ferendis summam adhibendam esse prudentiam nemo negabit. Nam quemadmodum fieri non potest, ut equorum domitor, etsi peritissimus, determinare queat, quæ fræni species alicui equo apta sit, nisi prius ejusd. animalis naturam ac peculiare dotes exploraverit: Ita nunquam Princeps Regno LL. dare poterit, nisi prius naturam & affectus, qui in populis prævalent, sigillatim norit. Quandoquidem, licet proportio justitiæ distributiæ non minus quàm correctivæ suam theoreticam, modumque considerandi ex universali hominum natura desumat, particularium tamen conditionum praxin ab his vel illis hominibus efformat. Et quia siaticos aliis Legibus, quàm quibus Turca utitur, regere vellet, imperium admodum fragile ab eò fundatum iri credendum est: E contrariò, si quis in aliis Europæ partibus easdem LL. usurpare vellet, idem incommodum metuendum foret.

TH. XII.

2.  
Justitiam  
administran-  
do. Daniel  
Otto de jure  
publ. cap. 8.  
p. m, 169.

Legibus itaque in Rep. commodè latis, justitiam secundum eas administret, quia Princeps vel Magistratus est, imò omninò sit custos & defensor justitiæ, & unicuique suum tribuat, qua propter & Reip. (neque enim dum alii suum reddere jubemur, Reip. suum tribuere prohibemur, ex quò obiter patet, definitionem *Imp. pr. j. de j. & j.* esse justitiæ non particularis, uti vult Dn. Struv. *G. j. C. Exerc. 1. tb. 18.* sed universalis (cùm justitia & pietate Principes Dii existant, Lips. *Doctr. Polit. 2. c. 10.* nec quicquam magis de ipsorum officio sit, quàm conservari pacem & justitiam, uti loquitur Cic. *l. 3 off.* Ita de se testatur Justinian. *l. 1. C. de vet. jur. enucl. l. un. C. Nem. lic. sign. Salvat.* Huc pertinent tot constitutiones Imperii, videlicet R. I. de A. 1495. de A. 1500. de A. 1521. & c. imò Principis officium postulet, ut non solùm ipse justè vivat, sed etiam subditis sine respectu personarum justitiam administret, Sapien. 6. & remotâ justitia nihil aliud sint regna, quàm magna, mera & vera latrocinia, August. *lib. 4. de Civ. DEI*; Difficile enim & impossibile est pacem in Rep. conservari, ubi justitia æqualiter non

non administratur, R. A. de A. 1570. §. Weiter nachdem / 12.  
 42. ibi: Bey allen Regimenten die tägliche Experiencz beweiset / wie beschwerlich oder vielmehr unmöglich sey / beständig / friedlich Wesen zuerhalten / da kein förderlich gleichmässig Recht einem jedem administriret und vollzogen wird. Unde nec immeritò inter præcipua Regni Clenodia refertur, R. A. de A. 1567. §. Wie wol wir / 12. 60. in f. ibi: Die justitia, als das einzige grösste Kleinod im Reich. Quid! quod tanta justitiæ vis est, ut nec ii quidem, qui scelere ac maleficio pascuntur, possint sine ulla justitiæ particula vivere, Cic. lib. 2. off.

TH. XIII.

Referre huc etiam possemus quæstionem illam, an Princeps legibus sit subjectus? Sed quia quæstio hæc frequenter est tractata, itaq; ne L. B. nausea ex crambe sæpius recoctâ creetur, hanc supersedebimus, remittentes hujus rei cupidos ad Dn. Schüz. vol. 1. Exerc. 3. th. 11. lit. D. & Daniel Otton. de jur. publ. c. 8. §. altera virtus. p. m. 130. ibiq; lit. L. & alios, negativam partem amplectentes. Neque tamen exindè volumus concedi, quòd Princeps licet Legibus non sit obnoxius, jus alteri quæsitum auferre possit. Ludvvell. in Synops. jur. Feud. p. 208. Nemo enim hominum habet potestatem in rem alterius, non jure divino, Ezech. c. 46. v. 18. non Jure Naturali, quò nemini iniqua conditio inferenda, & alter cum alterius damno non debet locupletari, l. 14. ff. de condict. indeb. l. 206. ff. de R. 7. Non jure Gentium, quò dominia rerum sunt introducta, l. 5. ff. de j. & j. Multò minus jure Civili, arg. l. 3. l. 7. C. de prec. Imp. offer. quàm minime de jure Canonico, utpote, quod juris æquitatisq; aliàs observantissimum, c. 17. de R. 7. in 6. & passim, id quod & Ethnici famiores reprobârunt, inter alios pulchrè hæc de re Cic. in offic. lib. 3. ubi sic ait: Alteri aliquid detrahere, & suum augere, commodum cum alterius incommodo, magis est contra naturam, quàm ipsa mors, dolor, & paupertas. Nam primò tollit convictum humanum & societatem communem; si enim ita sumus affecti, ut propter suum quisque emolumentum violet aut spoliet alterum, disrupti necesse est eam, quæ maximè secundùm naturam est, humani generis societatem.



Hæc ille. Nisi publicâ urgente necessitate, aut evidenti aliquâ ratione publicâ suadente, Brunnemann. *ad l. 9. & 14. C. de oper. publ.* Bockelmann. *in coll. Pandect. lib. 1. Tit. 4. §. 12.* Bronchorst. *ad R. 7. 11. p. m. 42.* Menoch. *de A. 7. Q. lib. 1. q. 48.* Mynsing. *resp. 21. & cent. 5. observ. 97.* Gail. *2. obs 56. 57. 58. & 142. n. 12.* aliique multi DD. TH. XIV.

3.  
Bona citra  
necessitatem  
casum subdi-  
tis non afe-  
rendo. Gail.  
2. O. 56.  
seqq.

Non igitur pro lubitu in bona subditorum grassari Prin-  
cipi est licitum, quia non dominium, sed Imperium tantum  
habet, Gothofred. *ad Nov. 105. lit. K.* Pastor, non lupo Reip.  
sit; Sic etiam nominantur tales, qui omnia ex utilitate me-  
tluntur *Staats-Wölffe, in Tract. der neu-eröffneten/sonst al-  
tergeheimsten Geistlich-Statistischen Jesuiter Raths-Stube/  
pag. 9. §.* So wolle er auch / 2c. Ut enim Gubernatori cursus,  
Medico salus, Imperatori victoria: Sic Principi beata Civium  
vita proposita esse debet, Cicero, *l. 5. de Rep.* quoniam Prin-  
ceps est factus propter bonum, non ut obsit, sed ut profit, ma-  
lumque in Principe non potestas, sed tempestas est, Vasqu. *1.  
controv. illustr. c. 1. n. 20.* Unde laudabile Parisianæ Curiaæ edictum:  
*Le Seigneur, qui abuse de la justice, en doit estre privé.* Papon.  
*l. 13. Arrest. Tit. 2. arrest. 5.* Et salus populi suprema lex esto, non  
enim populus propter Principem, sed princeps propter popu-  
lum, ejusque utilitatem, Cic. *lib. 1. offic. vid. Zach. Viet. de caus.  
Exempt. conclus. 14.* Nec quod ipsi utile videtur, statim licet, &  
honestum est, uti aliâs est principium Carneadis, Epicuri,  
Platonis & recentiorum nonnullorum ut Hobbii, Gassendi,  
aliorumque cum omnis origo juris & honesti ipsis ex pacto  
sit, quod inierunt homines, ne se mutuò læderent; (3.) quod  
ex iisdem pactis dependeat rerum proprietates, adeoque ex uti-  
litate sit, quod res hæc mea, ista autem tua dicatur; (3.) Quod  
omnes LL. & jus omne tendat ad utilitatem Reip. & (4.) Legi-  
bus supersedere possemus, si homines æque noscere possent,  
quid utile sit. Sed rectè hæc sententia rejicitur à Bœclero *in  
Tract. de Notit. S. R. Imp. lib. 2. cap. 3. p. 27.* aliisque, quia hone-  
stum non expetitur propter utilitatem, sed propter semetipsum,  
& sibi met ipsi cōplacet, (2.) quia ratio formalis honesti subsistit  
in appetibilitate propter se, utilis verò propter aliud (3.) quia  
aliâs

aliàs nullum jus belli esset, dum liceret alteri acquisitum, bello rursus auferre, dum utile esset, & consequenter honestum. Ad contraria responderi poterit, & quidem ad (1) N. cum origo juris & honesti potius ex innata & adhuc scintillante rectitudine naturali cordibus hominum insculptâ sit; Ad (2) N. quia hoc in hypothese illa falsa fundatur, quòd communitio aliqua fuerit primæva, quòd alibi refutatum; Ad (3) N. consequentiam, aliud enim est, LL. honestas tendere & facere ad utilitatem publicam, & aliud, omne utile esse honestum, hæc enim non sunt convertibilia; Ad (4) Concedendo, non tamen sequitur, quod omne utile sit honestum, quia supponitur honestum, tanquam norma utilitatis, *Zach. Vietor de caus. Exemt. concl. 7.* Hugo Grot. *de j. B. & P. l. 1. c. 2.* & *passim.* Gassend. *in Syntagm. Philosoph. Epic. s. 4. c. 26.* quemadmodum hæc docet & proponit Magnificus Dn. D. Nitzschius, *Com. Palat. Cas. & P. P. Supremi Judicii item Revisorii Assessor, Fautor ac Patronus meus ad cineres usq; venerandus*, in prælectionibus privatis ad Notit. Bæcl. ad voc. Omne utile, honestum, *lib. 2. c. 3.* Quid autem faciendum sit, an tali Principi de facto illicita audenti resistendum, an verò tolerandus sit? de hoc in Cathedrâ, quia brevitatis studium placet, datâ occasione mentem naturam explicabimus.

TH. XV.

Progressum facimus ad Principis promissa ejusdemque contractus, & quoniam supra th. 9. jam tum fundamenti loco aliquid differuimus, cætera, quia & nomen & rem ipsam dilucidius explicant, addamus, Primùm quidem de Principis assertione, assertionisque fide: Graviter ergò Guntherus de Frederico Barbarossa Imp. cecinit in *Ligur. lib. 3. fol. 60.*

4.  
Pacta non  
violando.  
Cluten. in  
Syllog rer.  
quotid. s.  
18,

nudo jus & reverentia verbo  
Regis inesse solet, quòvis juramine major.  
& de sanctitate fidei ita Aristoteles ad Alexandum M. suum discipulum: *Cave, ne infringas datam fidem, quia hoc convenit infidelibus juvenibus & meretricibus.* Andr. ab Enea *de pact. n. 452.* Et hoc alibi optimè repetiit laudatus *Günth. in Ligur. lib. 3. v. 513.*

Non



Non decet in labiis versari lubrica Regis;  
 Non decet ore sacro mendacia tradere Regem,  
 Sancta & plena suo sunt Regia pondere verba,  
 Dicta semel, nullum patiuntur jure recursum.

Ac fides, si cunctis ordinibus, Illustri præsertim & Nobili Vi-  
 ro, atque ad clavum Reip. sedenti, necessaria est; Ille enim ci-  
 viles societatis & communionis habenas regit, vel urbanè &  
 civiliter inter pares ac infimos se gerendo, vel sanctè justèque  
 justitiam administrando. Unde dicere solitus fuit prudentissi-  
 mus Arragoniæ Rex Alphonfus: *Tantum valere debere ad fi-  
 dem Principis verbum, quantum privatorum hominum jusjuran-  
 dum.* Tholofan. *de Rep. lib. 8. c. 8. n. 10.* Hoc idem egregiè repe-  
 tit *Petr. Matthæus* Historicus insignis: La tromperie est par  
 tout odieuse, mais elle l'est d'avantage aux Princes, dont  
 la parole doit estre immuable, *Pierr. Matthieu en l'histo-  
 re. Henr. IV. Tom. 1. lib. 2. narrat. 1. p. 214.*

TH. XVI.

Siquidem Magistratus & Principes in Imperio Romano-  
 Germanico maximis resplendent dignitatibus, ac cum illustri  
 & excelsò loco supra communem sortem sint erecti, univer-  
 sum orbem prudentiæ, Virtutum, præsertim verò fidei radiis  
 illustrare debent, *Limn. de 7. P. Lib. 4. c. 6. n. 48.* quod uno vel  
 altero Principis dicto illustrare lubet. De Imperatore *Sigis-  
 mundo* referunt Scriptores, quòd is veterano quòdam milite  
 promissa exigenti, cum diceret: *Immoderatam fuisse ejus peti-  
 tionem*, hic autem respondisset: *Poteris negare, cum peterem,  
 nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris:*  
 Tum subjecerit: *Si ex duobus alterum me ferre oportet, facilius  
 rerum, quam fama jacluram subibo.* *Aneas Sylv. lib. 3. Com-  
 ment. in Panormit.* Memor sine dubio illius dicti *Livii*: quòd  
 famæ & fidei damna majora sint, quàm quæ æstimari possint.  
*Liv. Histor. decad. 3. c. 31.* Majestaticum quoque exemplum de  
*Carolo V. Imp.* legimus: Qui cum D. Martino Luthero (quem  
 Pontifex Maximus *Leo X.* diris execrationibus quasi Ecclesiæ  
 Rom. hostem devoveret,) fidem dederit, ut ad Comitia A. 1530.  
 Wormatiæ celebrata, ubi causam erat dicturus, securè ire &  
 redire

Sigismun-  
 dus Imp.

Carolus V.  
 Imp.



redire possit eoque venisset Eccius, & eodem modo uti ante centum annos cum Johanne Husso & Hieronymo Pragensi Concilii Constantiensis decreto, fidem hostibus servandam non esse, cum ipso procedi debere contenderet; hoc generose respondit: *Etiamsi fides toto exularet terrarum orbe, tamen Imperatori tenendam esse, utpote qui hanc solam, nullò verò metu cogi & adstringi possit*; his emphaticis verbis: *Wann schon glauben zu halten / nicht mehr in der ganzen Welt bräuchlich wäre / so solte es doch ein Kenser billich thun* / Zenoch. *in vitâ Caroli V. lib. 1. Christian. Matthias in Theatr. Histor. Theoret. Pract. in Carolo V. p. m. 1054.* Quod ipsum rectè tum dixit, tum fecit Imperator. Nam verba Regum debent esse Regia, *Proverb. 8, 6. & Esa. 32. v. 8.* Principes ea, quæ digna sunt Principe, cogitabunt, iisque insistent, seu Principum cogitationes & verba non debent esse **AQUEA**, h. e. fluxu & mutabilia, sed **AUREA & ARGENTEA**, h. e. constantia & immutabilia, uti explicat D. Matthias *c. l.* Itaque Imperator, ne securitas publica violaretur, equitum turmas aliquod D. Luthero dari jussit, quousque salvus & incolumis domum revertisset.

TH. XVII.

Verba securitatis, cum rem hanc benè illustrent, non pigebit adscribere; Ita autem se habent: Karolus V. **DEI** gratia, Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Honorabilis, dilecte, devote: Quoniam nos & Sacri Imperii Status, nunc hic congregati proposuimus & conclusimus, propter doctrinam & libros aliquamdiu hætenus abs te editos scrutinium de te sumere, dedimus tibi ad veniendum huc, & iterum hinc ad tuam securam tuitionem, nostram & Imperii liberam, directam securitatem, & conductum, quem tibi circa hæc mitimus: desiderantes, ut velis te statim accingere itineri, ita ut intra viginti unum dies in hujusmodi conductu nostrò nominatis omnibus modis hinc apud nos sis, & non domi maneat. Neque ullam vel violentiam, vel injuriam timeas. Volumus enim te in præfato nostro conductu firmiter manutenere, & nobis persuadere te venturum. In hoc namque facies nostram severam sententiam. Datum Wormatiæ, d. VI. Mart. Anno

C

Domi-

Domini 1521. Regnorum nostrorum Romani tertio &c. extat hoc diploma in Dissertat. Juris Publ. *Job. Strauchii, dissert. 6. th. 19. p. m. 164.* Exeat ab aula piorum Principum dictum illud Jesuiticum, imò Diabolicum: *Heretico non esse servandam fidem.* Memorabile hujus loci occurrit quoque *Philippi Hassiæ Landgravii*, Magnanimi Principis apophtegma: Tres esse notas atque characterismos Principis; Monetæ scil. bonitatem, itinerum securitatem, & in servando promissò fidem. *Matth. Bernegger. observ. histor. polit. 24.* Egregia certè & Imperatoria sunt verba illa *Matthiæ Imp.* quibus *Rudolpho Imp.* respondit, *se sanguinem nempe, imò etiam vitam, perdere malle, quam perfidia relinquere famam,* uti refert *Lehmann.* in *Florileg. polit. suo,* sub *Tit. Glaub.* Ne dicam de *Solymano*, qui licèt fuerit Turca, eumque dehortati fuerint aliqui Bassæ, *attamen se fidem sanctam habiturum respondit,* sicuti *Autor der Entdeckten Grufft Politischer Geheimnissen in der 20. Rede pag. 305.* latè recenset.

TH. XVIII.

Unde fit, ut dicto Principis citius & certius, quàm aliorum juramentis fides habeatur, ac in promissione Principis fides maxime exuberare censeatur, *Setser. de juram. lib. 1. c. 16. n. 6.* cujus verba propter dignitatis suæ lucem, *l. un. §. 1. ff. de off. Præf. Præt.* majoris sunt vigoris & efficaciam, quàm hominum privatorum, *per cap. in nostra. 32. X. de testib. arg. l. 3. §. 1. & 2. ff. de Testib.* ideoque Princeps debet habere unum calamum, unamque linguam, & non plures; Debet esse immobilis, sicut lapis angularis & Polus in cœlo, uti hæc *Bald. in Consil. 227. num. 3. vol. 3. Gail. 2. observ. 55. n. 4.* refert. Ac in Principe, ceu fonte justitiæ constans debet esse voluntas, *Roland. à Valle consil. 2. n. 152. vol. 1. & Consil. 13. n. 54. vol. 3.* Spectaret huc quæstio: An Principis assertioni plena fides adhibenda? Cui autem ceu hæc in re otiosam, supersedemus, videri ea potest in *Nomolog. Myler. cap. 1. thes. 6.* Accedamus igitur ad Principum contractus, eorundemque circa illos erga contrahentes fide.

TH. XIX.

Sanè ex hisce jam usque huc qualiter qualiter deductis inferitur, quòd in Principum seu ad Gubernacula Reip. sedentium

tium tractatibus & actionibus bona fides exuberare censeatur, ac in illis omnis sinistra suspicio doli, fraudis & simulationis cessare præsumatur, *arg. textus egregii in l. un. §. 1. in verbis: qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide & gravitate ad ejus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse, pro sapientiâ & luce dignitatis suæ, ff. de off. Pf. Pt.* Unde antiquum proverbium ortum est: Germanâ fide, *auff gut Deutsch: Warsewic. Tract. de Legatis.*

- - Gente Germanum Virum  
Vacare furo & falsimonia decet.

Nam nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, Romæ in Pompeji Theatro Frisiorum Legati Verritus & Majoriges gloriosè olim exclamarunt ap. *Tac. Annal. lib. 13. c. 54.*

TH. XX.

Ulterius ex præcedentibus sequitur: Quòd omnes contractus cum Principe & à Principe seu Magistratu & cum privato initi sint contractus bonæ fidei, *Ludovell. ad jus feud. p. 133. in f. Joh. Borcholt. Consil. 7. à pr. lib. 1. Gothofred. in not. ad Nov. 105. lit. k. in med.* Cùm in contractibus ipsorum verbis ludi aut falli gravissimum sit & penitus abjectum, *Menoch. lib. 6. præsumt. 59. n. 2.* Principum nuda pacta & simplices conventiones producunt actionem & exceptionem, *Petr. Wesenbec. consil. 2. n. 60.* Ac quòd contractus Principum & Statuum Imperii vim legis obtineant, *arg. l. pen. ubi Br. & Bd. C. de donat.* Hinc Princeps ex contractu cum quòvis inito, etiam cum subditis obligatur, ac eundem fortissimò jure servare tenetur, non aliter ac quilibet privatus, *arg. cap. 1. ubi DD. V. de probat. Vultej. Consil. Marpurg. 25. n. 88. & Consil. 24. n. 42. vol. 2. Consultiff. Dn. D. Mollenbecius, Patronus meus sempiternùm suspiciendus, cent. 1. div. 3. addit. 2.* Nec Principi à contractu cum subdito celebrato, ne quidem de plenitudine potestatis, resilire licebit, *Mynsing. Resp. 24. n. 19. Gail. 2. obs. 55. n. 5. & 6.* Nec principali autoritate quis decipiendus est, *Gail. c. l. n. 4.* cùm fit fons justitiæ, nec injuriæ inde oriri debent, unde jura nascuntur, *l. meminerint. 6. C. unde vi, ibiq. Brunnemann. n. 2.* nascuntur autem jura à Principe, quia omnia jura in scriniò pectoris habere

5.  
Contra-  
ctus servã-  
do.  
Schütz de  
Jur. Publ.  
vol. 1. Dis-  
sert. 3. th.  
12. lit. C.

dicuntur, per *text. omnium. 19. C. de Testam.* quoniam contra-  
 ctus, ex jure Gentium originem ducunt per *§. 2. 7. de 7. N. G. & C. &c.* *Hobbesius* quidem docuit Principem Civibus suis  
 efficaciter obligari non posse: sed huic jam alibi est satisfactum.  
 Non enim mandat solum lex Civilis: *fidem servare*: sed hoc di-  
 ctitat quoque jus ipsum Naturæ: Huic autem omninò subji-  
 citur Princeps *§. 1. j. de j. N. G. & C.* *Besold. de Maj. c. 7. num. 8.*  
 quamvis humanò imperio ad parendum juri Naturæ cogi non  
 possit, quoniam nempe superiorem non habet in terris, gra-  
 vem tamen eamque divinam experietur vindictam, de quò vi-  
 deri potest *Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 2. th. 9.* Hinc firmò  
 stat talo opinio illa, quâ statuitur nempe, actionem adversus  
 Principem dari non posse, sub qualitate scilicet ea, quâ est me-  
 re civilis. Non enim licet considerare Principem, veluti ci-  
 vem, quamvis in negotiis sive conventionibus privati juris ver-  
 setur. Imò licet se conveniri permittat, coactio tamen, & imò  
 vis judiciaria deficit omnis. Servat ergò hanc legem, non ex  
 obligatione Civili, sed ex fidei religione, quæ est naturalis &  
 gentium juris. Itaque actio nulla civilis, quâ talis, Principem  
 virtute suâ stringere potest, obligatur tamen, in conscientia ut  
 promissum servet.

TH. XXI.

Apparet etiam, quòd Princeps fidem frangendo longè  
 gravius peccare censeatur, quàm privatus; Idque propter di-  
 gnitatis suæ lucem & officii magnitudinem, adeò, ut plenissi-  
 mè perfidiosum sit, & nefarium Principi, fidem frangere vel  
 violare. Hinc optimè scribit *Baldus*: Fidem fallere, grave est  
 gravibus; Gravioribus gravius; Gravissimis & exemplaribus  
 viris gravissimum, *Consil. 343. vol. 1.* quoniam ex promissioni-  
 bus suis longè fortius & efficacius, uti suprâ sæpius dictum,  
 quàm privati obligantur, arg. traditorum ab Imp. *Leone in No-  
 vell. constit. 19.* cum turpissimum sit & fœdissimum Principi  
 mendacia dicere. Si enim homines plebejæ sortis, nedùm viri  
 ingenui, mendacii turpitudinem detestantur, quantò magis  
 Principes hoc vitium cane & angue pejus fugere debent, *Nol-  
 den.*

Sen. de nobilit. c. 12. n. 119. Nam ignavæ mentis est mentiri; cum  
mori sciat, mentiri nesciat Generosus animus.

TH. XXII.

Porro debet Princeps seu Magistratus fidem vel circa Ec-  
clesiastica, vel circa secularia. Nam cum Papistarum Religio  
hominum corruptorum traditionibus & opinionibus ad di-  
tandam Ecclesiam facientibus sit depravata, sanctè fecerunt  
Principes ac Status Imperii protestantes, quòd veram & ortho-  
doxam Religionem, quâ etiamnum per DEI gratiam fruimur,  
& in perpetuum fruemur, pragmaticâ sanctione de pace Reli-  
gionis solemnî stylò, concordî Statuum suffragio Passavii An-  
nò 1553. promulgari, & deinde An. 1555. in Comitiiis Augusta-  
nis sub gravissimâ pœna confirmari summâ diligentia curarint,  
adeoque nunc verum sit illud *cujus est Regio, illius est Religio*,  
ut ex Gylmann. 2. decis. 59. n. 4. habet Excell. Dn. Hertius, P.P.  
*Patronus meus singulari cultu venerandus, in dissert. de Superio-  
ritate Territor. §. 9.* Primarium propterea sit officium Princi-  
pum, ut non tantùm subditos ad pietatem adigant, sed & ipsi  
pietati studeant, verbum DEI magni facientes libenter audi-  
ant, ruminentur, & in corde suo conservent: Sint veri veræ  
Ecclesiæ Nutritii, hoc est, dent operam, ut in suis finibus Ec-  
clesia Christi crescat, vigeat, floreat. Doctores puræ & sanæ  
doctrinæ addictos vocent, liberaliter foveant & defendant: Si-  
ne horum enim operâ & studio Ecclesia feliciter crescere non  
potest, quia sunt organa talia, per quæ Spiritus S. in cordibus  
hominum operatur.

6.  
Ecclesia-  
stica curâ  
do, Nor-  
dermann.  
de jur. Prin-  
cipat. th. 12.

7.  
pietati stu-  
dendo.  
Matthias  
in Theatto  
Hist. Th.  
Pract. in  
Præfat.

TH. XXIII.

Placet apponere exemplum Gloriosissimî Imperatoris  
*Constantini M.* laudatissimum. Tanta erat pietas, ut non tan-  
tùm Primus ex Imp. Rom. Christianus factus sit, (& post-  
quàm devictis Tyrannis Ethnicis solus summa rerum potitus,  
ad religionem Christianam instaurandam, stabiliendam, & am-  
plificandam, omnem curam, studia ac laborem contulerit, li-  
berum Religionis exercitium Christianis concedendo, piis  
Ecclesiæ Doctoribus stipendia constituendo, iisque magna  
privilegia concedendo, adeoque non tantùm Politiam,

Exempla  
Religioso-  
rum Imp.

sed & Ecclesiam benè gubernaverit ac protexerit ) sed & Biblia suis sumtibus sæpissimè describi ( nam Typographia tùm temporis nondum erat inventa ) & in exteras nationes hinc inde mitti curaverit, quò vera Religio longè lateque propagaretur, Novumque Testamentum sibi semper præferri mandaverit. Similis pietatis cultor erat *Theodosius*, de quò dicitur, Eum in bellò magis orando, quàm ferendò pugnasse. Eundem ad Religionem fervorem præ se ferebat *Carolus ille M.* qui pietatis studio adeò delectatus est, ut ipse se choris psallentium in Ecclesia immiscuerit, aliaque opera pietatis laudabilia peregerit, quæ omnia recensere nimis longum foret. vid. *Theatr. Histor. Matth. in præfat.*

TH. XXIV.

Quales itaque in Rep. Principes, tales plerumque etiam esse solent Cives, qualis enim Rex, talis Grex, uti inquit *Cicero*, & *Symbolum Trajani Imp.* quare cum ita in Rep. fieri videamus, ut

Mobile mutetur semper cum Principe vulgus non tantum in moribus, sed etiam Religione, & quòd subditi omni tempore imitentur opiniones & facta Dominorum sive bona sive mala; In id potissimum Princeps incumbat, huc omnes suas cogitationes imprimis dirigat, necesse est, ut pietate animum exornet, cultuque tam internò quàm externo Deum veneretur: Sic facilè subditos quoque suos ad pietatem & optimos mores adducet, sibi que obsequentiores reddet. Nunquam moritura laus est *Theodosii II. Imp.* quòd Aulam suam veluti scholam, in quâ ad pietatem se suosque exercuit, instituerit, habens ordine distributa tempora Læctionum, Psalmorum, jejuniorum, imò & vigiliarum. Ut aliorum Christianissimorum Imperatorum facta religiosa silentio nunc prætereamus.

TH. XXV.

8.  
Religionem non mutando. Henning. Arnisæus, de Jur. Majest. lib. 2. cap. 6.

Instituta in Rep. à Principe Religione eam conservet, au-  
geat & amplificet, blasphema nequaquam toleret, l. 3. C. de Hæ-  
ret. & Manich. P. N. D. art. So einer Gott zumisset 2c. 106.  
religionem perturbantes compescat, Cluten. Syll. rer. quotid.

S. 18.

§. 18. Cæterum requiritur veræ Religionis libertas, seu ejus colendæ facultas libera & spontanea, absque omni metu, minis &c. fides enim suaderi vult, non cogi, nulliusque Magistratus est sibi in conscientias Imperium vindicare; quemadmodum intellectus cogi non potest, ut aliquid intelligat, ita quoque voluntas cogi nequit, ut aliquid velit. Fides igitur, cum sit voluntatis, non necessitatis, non jubendo & minando, sed docendo & ducendo, non occidendo, sed monendò, non armorum vi, non suppliciis aquæ & ignis, non exustione, non à bonis omnibus expulsionem, sed armis spiritualibus, verbi sc. divini prædicatione, charitate & patientia propaganda est atque defendenda. Quò enim majora supplicia irrogabis, eò minus proficies: Cum ea sit hominibus insita natura, ut ad aliquid assentiendum spontè duci velint, non cogi, Thuan. *in præfat. Histor.* Die Strittigkeiten der Religion werden durch die Waffen mehr entzündet / sollen sie abgethan werden / so müssen eines Lands. Bürger unter sich einig seyn. So kan kein Krieg durch Krieg / sondern die Uneinigkeit muß durch Friede aufgehoben werden / uti inquit *Autör Tract.* Abdruck eines Christlichen Bedenkens über drey Gewissens. Fragen / p.m. 139. Non ineptè & cum magnò usu legi hæc de re potest *Tractatus*, qui inscribitur: Neu eröffnete / sonst allergeheimste geistlich Staatistische Jesuiter Kabinetsstube / über die Staats- und Gewissens. Frage: Wegen Teckelisch- und Evangelisch- Ungarischer Malcontanten Restitution und Fortsetzung des Türcken. Kriegs &c. & hoc annò demum prodiit. Quæ libertas Religionis expressè in pacificatione nostrâ Statibus est indulta, in §. Und damit solcher &c. 15. ubi cavetur, quòd nemo contrà suam conscientiam, scientiam & voluntatem religionis causa cogi vel offendi debeat, sed ab omni inquietudine prorsus sit immunis, sive violentia illa sit vi, minis, mandatis aut quòvis modò facta, sive injuriosis verbis, aut factis injuriosis intentata, §. Dargegen sollen 2c. 16. §. Nachdem aber in vielen. 27. §. Es soll auch kein Stand 2c. 23. &c. Quin imò non tantum in suis propriis territoriis, ditionibus & regionibus hanc libertatem habent Status Imperii, verum etiam in alienis territoriis,

coriis, siue ibi permanendi, siue ad tempus tantum commo-  
randi animo degant, iis concessa est, §. Dagegen sollen die  
Stände. 20. 16. ibi: *Sambt und mit ihren Capiteln.* Sed redi-  
mus ad propositum, hinc enim paulisper evagati sumus!

TH. XXVI.

9.  
Sed eandem  
custodiendo.  
Mylerus ab  
Ehrenbach/  
de Princip. &  
Stat. Imper.  
part. 2. cap.  
33.

Constitutâ ita & institutâ Religione & custodia consti-  
tutæ religionis Principi incumbit, ejus enim officium est, Ec-  
clesiam curare non tantum gubernando, sed & conservando  
& defendendo, Dan Otto *in jur. Publ. c. 24. p. 719.* Possimus  
jam proponere quæstiones (1) *An Princeps plures, easq; diver-*  
*fas in Regno suo debeat tolerare Religiones?* (2) *An Canonicis Con-*  
*siliariis, Reformationem in Religione suadentibus magis, quam Po-*  
*liticis credendum?* (3) *Quid Principi ad salvandam conscien-*  
*tiam cum subditis suis diversæ Religionis faciendum?* (4) *An*  
*pacta, promissiones & juramenta super istiusmodi conventionibus*  
*facta sint obligatoria?* Sed quia peculiaris extat Tractatus, con-  
tinens tres quæstiones, conscientiam tangentes, hoc titulo:  
*Abtruct eines Christlichen Bedenkens*, crambem bis coctam  
apponere tædet, cum primis idiplum tempora jam fluentia, &  
nostrum propositum prohibeat, placet ergo nobis hinc *ἐπέχει.*

TH. XXVII.

10.  
Fædera pan-  
gendo.  
Wurmser.  
Exercit. Aca-  
dem. jur.  
publ. Exer-  
cit. 8. q. 2.  
seqq.

His consideratis porro erit videndum, quomodo porro in  
secularibus ad servandam fidem obligatus sit Princeps. Pro-  
mittit autem fidem vel paribus vel imparibus: Paribus pro-  
mittitur fides, e. g. quando Majestates invicem fædera pan-  
gunt: Cum enim potentiam hostis imminentem, vel etiam ti-  
mendam, propriis viribus infringere non audet, interdum ne-  
que potest, natura imò Ratio Status sæpè pernecessarium sua-  
det, ut fædera cum vicinis potentioribus ineantur; Fortuna  
enim varia est; varium tempus; varii homines: Ex Achæo-  
rum regimine saluberrimum igitur quærendum remedium,  
singulorum scilicet pericula mutuis viribus propulsare, Justin.  
*l. 34. Histor. cap. 1.* Qui enim viribus valet, si cum altero, si-  
militer viribus valente, communicet, longè præstantiores  
& utiliores ejus erunt vires, *Nov. Leon. 102.* His consociatis  
perfici poterit defensio corporis, vitæ, bonorum, aliâs insuffi-  
ciens.



ciens. Quò aliò tuti sumus, inquit *Seneca*, quàm quòd mutuis juvamus officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium & victimæ, ac vilissimus & facillimus sanguis. Hominem nudum & infirmum societas munit. *l. 4. de Benef. c. 18.*

TH. XXVIII.

Ipsa natura inter viventia mutuum quasi necit adjuvandum, suiq; ipsius conservationem hoc vinculo ab interitu vindicat. Quò magis se conjungunt, eò firmiter fit vinculum, eoque tutius. Apuæ, pisciculi tenuissimi, è providæ naturæ instinctu semper confertim incedere solent, ut à majori aliquo pisce infestatæ mutuum sibi opem ac securitatem queant præstare. *Picinell. Mund. Symb. l. 6. c. 5. n. 29.* Sic reddit conjunctio tutos! Sed quænam major poterit esse conjunctio, nisi per fœdera? Hæc siquidem faciunt è duobus unum, quoad mutuum defensionem, duo quasi corpora unò conjungunt Spiritu, ut sit idem ipsis velle, idem nolle, una salus, *Waremund. ab Ehrenberg / p. 45. Rosenthal. Synops. feud. c. 10. conclus. 20. n. 18. lit. V. p. m. 83.* Hodieque nihil frequentius inter Magnates observari videmus, quàm per fœdera conjunctionem, quò suum territorium ab hostium incursionibus defendant. Exemplum egregium suppeditat fœdus quod *Inviertissimus Imperator noster LEOPOLDUS*, cum *Victoriosissimo Rege POLONIÆ*, & *opulentissima Venetorum Rep.* contra infensissimum Christiani nominis hostem, *Turcam*, inicit, cujus cum Poloniæ Rege pacti optabiles fructus annò superiori, fusò ferè omni Turcico milite, jam tum experti sumus. Precamur porrò DEUM, ut Gratia suæ splendorem ad nos perpetuò transmittat, quò non tantum Turcarum fastus deprimatur, corniculata Luna Mahometica tandem denigretur, èque mundi conspectu Christiani penitus extirpetur; sed etiam alii Imperii Romani hostes tandem concutiantur; *Fiat ô DEUS!*

TH. XXIX.

Confœderatione & pacto inter Potentissimos inito fides sibi invicem data inviolabiliter custodienda, nec quod hodiè pactum resiliendo,

D

II.  
A fœdere & pactis non resiliendo.

Waremund.  
ab Ehren-  
berg/de Fœ-  
der. p. 136.

paſſum, cras iterum finiendum : Unde propter emergen-  
tem aliquam utilitatem, aut avidam terminorum extenſionem,  
reſcindere paſſum non eſt licitum; quamvis hodie non infre-  
quens ſit, alienis æquo plus inhiare, illudque Carolinum,  
PLUS ULTRA, ſive per fas, ſive per nefas id fiat, pro ſym-  
bolo habere. Videantur quæ hanc in rem habet Autor qui-  
dam ſub nomine *Franco-Polite* in ſcriptis ſuis, *wahrer Bericht*  
*vom Königreich Germanien/Auſtraſſien und Lothringen.* Item  
Epift ad *Claud. Lentulum.*

TH. XXX.

12.  
Conſiliariis  
utendo.  
Liebenthal.  
in Polit.  
Exerc. 11.  
Quæſt. 1.

Dictum eſt theſi XXVII. Principem promittere etiam fi-  
dem imparibus: Verùm quia totum imparium Catalogum re-  
cenſendo pertractare nimis longum foret, imò diſſertatio no-  
ſtra in Tractatum excreſceret, unum tantùm ob ſtudium bre-  
vitatæ apponam. Placet autem, quia Conſiliarii quotidie co-  
ràm facie Principis verſantur, aliquid de fide illis data diſſerere.  
Priùs verò videbimus an neceſſarium ſit, Majestatem Conſi-  
liariis ſtipatam eſſe. Eam quidem sæpè numero in Principe re-  
perimus dexteritatem, ſolertiam, ſapientiam & prudentiam, ut  
ſibi ipſi Conſiliarius eſſe poſſit: Id quod de *Carolo M.* aliſque  
Regibus & Principibus, quos literæ reddiderunt celebres, af-  
firmare facilè poſſumus. Verùm minus tuta hæc ſunt, & ap-  
plauſum minimè merentur. Licèt enim illud negari nequeat,  
miſerrimum eſſe, alienis tantùm videre oculis, & in totum ex  
alterius pendere voto: Attamen nec hoc quiſquam diſſatebi-  
tur, quòd plus videant oculi, quàm oculus, & quòd plures  
conſilio communicato meliùs ac certius judicent, quàm unus;  
Item, quamvis prudentiſſimus, ſapientiſſimus, experientiſſimus  
eſſet; non tamen ſolus ſufficeret. Nemo enim hominum tan-  
tâ præditus prudentia unquam fuit, qui non majori indigeat,  
& cui nonnunquam in multis adhuc deſit: Tàm multi & varii  
caſus, tam varia ſcelerum, periculorum ac negotiorum genera  
quotidie cuius Magiſtratu obſcitantur, ut ſi ipſum Argum ſu-  
peraret, ſolus tamen omnia videre & animadvertere nullo mo-  
do ſatis poſſit. Nullum certè ſapientioſiorem habuimus ipſo Sa-  
lomone, Conſiliariis tamen eundem ſemper ſtipatum fuiſſe,  
ſacræ

Sacræ testantur literæ, 1. Reg. 4. Imitetur in eò Generosus Principis animus veteres *Imp. Theodos. & Valent.* qui quanti fecerint consilium Patrum conscriptorum, facile patet *ex l. 8. C. de LL. & constit. Princ.* & juri Naturæ conveniens esse bono Principi leges publicas ferre ex Consilio Consiliariorum, inquit *Brunnemann. ad d. l. 8. C. de LL. n. 9.*

TH. XXXI.

Quoniam igitur sapiens Princeps sapientum lætatur commercio, & Consilarii consiliis suis Principes tot laboribus eximunt, justum, imò laudabile est, ut beneficiis rursus ii ab illis afficiantur, eorumque data privilegia tueantur; quæritur ergò non inconcinnè: *An Princeps concedens Consiliario ob benè merita aliquod privilegium in remunerationem meritorum, illud successu temporis revocare, & Consiliario suo adimere possit?* Negativam sententiam communi calculò receptam esse, eamque judicando communiter observari, tradit post alios latissimè *Franc. Bursat. consil. 16. n. 56. seqq. Cacheran. decis. 139. n. 28. & alii:* Idque hæc ratione firmatur, quoniam gratia concessa propter remunerationem, non est simplex donatio, sed magis cum benè meritis permutatio, ac præstiti officii compensatio, utpote ex causa necessaria profecta, *l. 25. §. 11. ff. de petit. hered. Rauchbar. 2. quæst. 11. n. 15.* latè hoc etiam deducit *Bocerus de donat. cap. 13. n. 2. seqq. Marta Consil. 142. n. 5. 8. & per tot.* propterea per Principem revocare nequit, cum concessio hæc in contractum transierit, & mutuam obligationem induxerit, per textum egregium, *Aquilius Regulus 27. ff. de donat.* quod *Paulus in l. si Pater. 34. §. 1. h. t.* confirmat, ex quò donationem quæ ob benè merita fit, onerosam esse constat: Quando enim alicui concessio fit, vel quòd de concedente benè meruerit, vel eum à morte aut hostibus liberaverit, is non puram & meram liberalitatem exercet, sed potius naturæ debitum solvit, cum naturaliter obligati simus ad *æquid. seu remunerationem, l. 25. §. 11. ff. de petit. hered.* *Dn. Struv. in S. I. C. Exerc. 6. th. 11.*

130.  
Eorum privilegia tuendo. Nomenclologia Myler, c. 13.

TH. XXXII.

Hinc privilegium concessum propter servitia, quæ quis fecit concedenti, dicitur concessum ex titulo oneroso, non

D 2

autem

antem lucrativo : Ac videtur concessum pro solutione mercedis servitorum factorum. Quod propriè nec donatio, nec gratia, nec indulgentia, sed compensatio magis & permutatio dici meretur, & realiter quasi existit, *per l. 25. §. 1. ff. de pet. her.* Unde DD. dicunt, quòd donatio ob benè merita & remuneratoria latissimam recipiat interpretationem, *Dec. consil. 193. n. 2. ac Consil. 413. n. 6.* Adeò ut in dubio magis realis donatio seu concessio censeatur, & ad hæredes transmissibilis, quàm personalis, juxta ea quæ tradit post alios Menoch. *lib. 3. presumt. 103. n. 13.* siquidem id, quod bene merentibus conceditur, efficacius soleat concedi, quod multò fortius procedit in donatione facta à Viro Illustrissimo, quæ favorabilis est, & latissimè interpretanda, cum Nobilitatis propria sit virtus, liberalitas, *cap. 1. ubi Barbof. X. de donat. l. 7. §. 3. ff. eod.*

## TH. XXXIV.

Et ita paucis vidimus, quomodò Principes ipsi propter datam fidem obligati sint & maneat, quo verò modo Principum successores ratione Antecessorum suorum ex data fide obligentur, brevissimis annectemus : Quæstio autem hæc : *An Princeps successor ex dictò, factò, pactò aut stipulatione Antecessoris obstringatur ?* à Mylero in *Nomolog. cap. 10. §. 2.* vocatur Caput inter Regias quæstiones : Eaque disputationis gurges audit ab Hering. *de fidejuss. part. 5. cap. 27. n. 101.* & hanc quæstionem variè pertractat per varias distinctiones, Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. cl. 3. cap. 10. per tot.* & Tabor *de Obligat. Success. in aff. cap. 5. per tot.* D. Bæcler in *Not. S. R. I. l. 2. cap. 3. pag. 37. seq.* uti disserit Excellentissimus D. Nitzschius *add. l.* Distinguit cum Grotio & aliis inter successores hæreditarios, & qui ex jure propriò, putà ex electione nova, aut ex præscripto sc. qui non ultimo defuncto, sed primo acquirenti ratione sanguinis, v. g. in feudo, quod ex pacto & providentia majorum est, ut vocant, succedunt : Illi obligantur, quia omninò repræsentant personam defuncti : hîc subdistinguitur, non obligari scilicet directè & immediatè, benè tamen mediatè, per interpositam civitatem, quatenus scilicet ea supponitur obligata per factum defuncti, in quod vel expressè consensit, vel probabiliter fuit consensura, quem-  
admo-

admodum sunt illa [1.] de quibus propter necessitatem vel utilitatem publicam convenitur; vel (2.) quæ sub nomine dignitatis, aut ex natura officii Principalis sunt facta, quæ ipse Princeps Successor vel civitas factura fuisset; vel quæ denique (3.) ad mores & consuetudinem Provinciæ fiunt, cum talia in rem esse concepta videantur, nec consideretur ibi Princeps ut homo, qui moritur, sed qui organum est seu Instrumentum Reip. secus tamen est in concessione expectativa feudi, ubi successor ex jure proprio, in primis Prælati aut Episcopi investituram de caducitate feudi in bonis Ecclesiæ factam adimplere non tenetur, per text. 1. Feud. 3. & 2. Feud. 26. §. moribus. cum tales concessiones in bonis Ecclesiæ sint exosæ, vid. Grot. de j. B. & P. l. 2. c. 14. th. 10 11. Myler. in Nomolog. cap. 10. seqq.

TH. XXXIV.

Princeps enim duplicem sustinet personam; *Unam*, quæ homo, quæ moritur; *Alteram*, quæ organum seu Instrumentum Reip. per quod omnia, quæ Princeps rectè egit, Respublica agere, facere, operari creditur, quæ inconcussa mortis expers permanet, Prückm. de solut. potest. cap. 4. membr. 2. n. 10. & 10. fol. 403. Quemadmodum ergo dignitas principalis cum persona Principis nunquam interit, sed cum omni causa in successorem in Principatu, etiam per Electionem devolvitur per cap. 5. de Rescript. in 6. ibi: quia sedes nunquam moritur. Wesenbec. Consil. 316. n. 115. Gylmann. l. 2. decis. Camer. 51. n. 17. Adeo quidem, ut dignitas tam defuncti Principis, quam succedentis, eadem in utràque persona esse censeatur, nec variata videatur, per l. memini, 10. ff. de offic. Procons. Secundum enim Tac. lib. 3. Annal. Semper Respublicæ manent, licet mutantur personæ, quæ Reip. præsent, jung. Forstner. in Tacit. lib. 3. fol. 231. Unde Gallicum proverbium haud dubiè ortum est: *Le Roy ne meurt jamais*. Ita haud absolum, sed magis æquum ac justum est, quòd concessio & obligatio, quæ nomine dignitatis aut officii ratione, vel propter utilitatem Reip. contracta est à Principe, unà cum dignitate & Principatu in successorem transeat, Jason. n. 14. ff. de constit. Princip. Accedit & hoc, quod sub dignitatis & publica fide sint factæ, quæ tam successorem, quam

Antecessorem adstringunt, Carpzov. *p. 2. constit. 29. de fin. 21. n. 7.*  
 Schrader. *de feud. part. 4. c. 1. n. 21.* Quod etiam per exempla ab  
 Autoribus quibusdam fuit deductum. Nam in *Successore Im-*  
*peratoris* respondit Cravetta, *consil. 241. n. 17.* Idem in *Successore*  
*Pontificis Romani* id asserit Jason. *lib. 3. consil. 68.* In *Successore*  
*Regis* id quoque probavit Petr. Paul. Paris. Card. *consil. 2. n. 132. lib.*  
*4.* In *Successore Ducis* statuit illud Socin. junior. *consil. 60. lib. 3.*  
*n. 18.* In *Successore Marchionis* comprobavit hoc ipsum Marc.  
 Anton. Natta, *consil. 636. n. 13. lib.* Et denique tale in *Comitis suc-*  
*cessore* decrevit Bœr. *decis. 204. n. 42.* si igitur Princeps revocat  
 illa sine ardua causa, dicitur contra naturalem æquitatem pec-  
 casse, vid. Enenckel Baro *de privil. l. 3. c. 8.* & Carol. Tap. *de const.*  
*Princ. part. 2. cap. 9. n. 1.* Optimum quoque extat Rescriptum  
 Imp. Honorii & Theodos. *in l. f. C. de re jud.* quò constitutum  
 est, quod gesta, quæ translata sunt in publica monumenta, ha-  
 bere debeant perpetuam firmitatem: Neque enim morte co-  
 gnitoris perire debet publica fides. Similiter fundos à Prin-  
 cipe aut hujus Antecessore donatos, inconcussè possideri, &  
 ad posteros transmitti, rescripsit Imp. *in l. si quibus 6. C. de fund.*  
*patrim. L. XI 61.* inde colligit Brunneman. *ad d. l. 6. n. 2.* Res Prin-  
 cipis proprias ab eò irrevocabiliter donari posse, nec à succes-  
 soribus debere revocari. Justitiæ etiam ac rationis ordo sua-  
 det ut qui à successoribus desiderat mandata servari, decessoris  
 sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat, *Can. 15. caus. 25*  
*q. 1.* Et certè, nisi successor illa formâ fide teneret, publica fi-  
 des cessaret. Nemo enim cum Principe conventiones esset  
 celebraturus, ficque Princeps deterioris esset conditionis,  
 quàm alius quidam privatus, dum commercio careret cuncto-  
 rum. Arnis. *de jur. Majest. lib. 1. c. 7. n. 7.* Plura de hac materia  
 qui volet, adeat Nomolog. Myler. *cap. 10. §. 7. seqq.*

## TH. XXXV.

Quæritur autem porrò: *An etiam ab utilitate negotis*  
*res hæc decidenda? ut tùm demùm valeat actus si utiliter sit ge-*  
*stus.* Ita quidem nonnulli putant DD. quando actum non  
 obligare dicunt, si in damnum tendat Imperii, quod ipsum  
 exitus doceat, unde cum Nero profuderit bis & viis mille se-  
 tertium

tertium, *Galba* non nisi decimam partem habuit ratam, sed tamen (1.) rationis est, quod actus sint validi, & obligent subditos, adeoque & successores, si probabilem habeant rationem utiliter impensi facti, licet eventus damnosus appareat. (2.) quia *Reip.* periculosum est, imperantem ad eas redigere velle angustias, quod nec populus Imperium deferens sensitisse creditur; Limitatur tamen, si quidem pateat in insigne præjudicium *Reip.* id cadere, quò casu non tam revocatur actus, quàm declaratur non obligare ultra, quasi factus sub conditione, sub quâ fieri non potuit, & in quam successores non fuerunt successuri, uti monuit Consultissimus Dn. D. Nitzsch, *in prælect. priv. ad not. Bœcler. ad quest. de successoe. obligat. l. 2. c. 3.* Clapmar. *de Arcan. Rerump. l. 5. c. 13.* Grot. *de j. B. & P. l. 2. th. 12.* Struv. *in Synt. Jur. feud. c. 7. n. 9.*

TH. XXXVI.

Ordo jam postulat, ut reliqua Principis officia juxta rubricam perlustremus, animus etiam continuationem jubet, sed crebræ Amici cujusdam, quem semper veneratione dignum habeo, admonitiones, quæ brevitate subindè suasere, nec non turbulenta tempora, ut desistam, monent, propter eorum hominum copiam, quorum os magis, quàm manus timenda, uti inquit Autor in *Tract. de Regim. moral. disc. 11. p. m. 52.* Hæc itaque digitò saltem ad unum vel alterum Fidei Principalis genus spectantia monstrasse sufficiant, si posthac Clementissimi *Triadis* benevolentia meliorem seculi occasionem, tempusque materiæ huic sufficiens mihi suppeditabit, uberiores uniuscujusque declarationem pro ingenii viribus promitto: L. B. amicè rogans, ut si quid humani fuerim passus, ignoscere velit, optimè gnarus, quod penitus in nullò peccare, divinitatis sit magis, quàm mortalitatis, secundum *l. 2. §. si quid 14. C. de V. I. E.* & monstratis erroribus utiliora substituat, indulgeat candorem in interpretando, in censendo modestiam impendat, benevolentiam tribuat in corrigendo, ut si probari non merear, tamen excuset. Nec aliter facient candida & erecta ingenia. Verùm in cujus nomine hoc sum exorsus negotium, eodem etiam finem hæc vice impono: TIBI itaque SOLI, SUM-

Epilogus.

SUM-

QK 4748

32

SUMMO PATRI, FILIO & SPIRITUI S. cujus Deitatem sub pari Majestate & sub piâ Trinitate credimus & veneramur, juxta l.1. in f. pr. C. de summ. Trinit. pro clementissimâ hâtenus assistentia decentes refero gratias, TIBIQUE porrò omnia mea studia commendo, fac, ut quæ à me fiant, fiant in Nominis Tui Majestatici gloriam, Justitiæ incrementum & mei ipsius emolumentum!

A D D I D A M E N T A.

- N**on statim Lex de statu publicò agens fundamentalis est.
- II. Esse bonitatem de essentia Legis, statuimus contra Arnisæum, in doctrin. Polit. cap. 17.
- III. Virtutes Ethicæ & Politicæ differunt.
- IV. Qui aliquid erassius de rebus Venatoriis loquitur, vel non usitatas ipsis loquendi formulas adhibet, & hanc ob causam pœna Venatorum consuetæ subjicitur (wann einer das Wendmesser zu versuchen bekommt) injuriarum agere non potest.
- V. Jus Canonicum in Terris Protestantium vim Legis habet.
- VI. Scriptura non est de essentia legis.
- VII. Minor habens Curatorem, etiam absq; illius consensu potest obligari.
- VIII. Si absq; requisitis legitimis bona Minorum vendita sint, sed postea confirmatio Superioris accesserit, an convalescat alienatio? Dubitari posset ob l. 27. ff. de O. & A. sed cum Berlichio affirmabimus.
- IX. Mutuum etiam rectè dicitur contractus, non obstante l. 19. ff. de V. S.
- X. Conductor ædium etiam tenetur de damno ædibus illato ab inimicis Locatoris.
- XI. Multùm inter DD. controversitur, An uxor ratione dotis jus Prælationis habeat contra Creditores, etiam expressam anteriorem habentes; Nos cum Brunneinan. ad l. 30. de jur. dot. n. 7. & ad l. f. C. qui pot. in pign. n. 18. distinguendum putamus inter hypothecam generalem & specialem.
- XII. Ganerbius partem suam in Gaberninatu alteri in feudum offerre non potest.
- XIII. Legatus in Legatione delinquens puniri nequit.

F I N I S.



MAX

DN.

SS. T

DN.

Philof.


Lu

DN.

Celebe

sis,

Pa



Centimetres


KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



E, CONSULTISSIMI,  
LLENTISSIMI

LUDOVICE  
ENI,

& Prim. longè lateque  
Giessene Vigilantissime,  
i optimè merite.

NITZSCHI,  
Prof. Ord. Celeberrime,  
e, Judicii Revisorii Assessor  
t. Decane Meritissime,  
Cæsaree.

RIESI, J. U. D.  
Nassovico-Dillenburgen-  
Consiliarie intime, Advocate  
Ordinarie.

n æternum venerandi,

